Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26370
Copyright: Admont, Benediktinerstift



cogitatione retrorsum redire summo studio dilectissimi filii oportet ut opus bonum quod auxiliante domino cepistis impleatis. Nec labor uos ergo itineris nec maledicorum hominum lingue detrahant sed omni instantia omnique fauore que inchoastis domino auctore peragite scientes quod laborem magnum maior eterne retributionis gloria sequetur. Remeante autem augustino preposito uestro quem et abbatem uobis constituimus in omnibus humiliter obedite scientes hoc uestris animabus per omnia profuturum quicquid a uobis fuerit in eius admonitione completum. Omnipotens dominus sua uos gratia protegat et uestri laboris fructum in eterna me patria uidere concedat quatinus et si uobiscum laborare nequeo simul in gaudio retributionis inueniar quod uos laborare scilicet uolo. Dominus uos incolomes custodiat dilectissimi filii. Data die .x. kalendarum augustarum imperante mauricio tyberio piissimo augusto eiusdem principis anno .xiiii. indictione .xiiii.ma. .xx.iiii.

Misit tunc etiam isdem uenerabilis pontifex ad etherium arelatensem archiepiscopum ut augustinum brittaniam pergentem benigne susciperet literas quarum iste est textus.

Reuerentissimo et sanctissimo fratri etherio coepiscopo .cc. seruus seruorum dei. Licet apud sacerdotes habentes domino placitam karitatem religiosi uiri nullius commendatione indigeant quia tamen aptum scribendi se tempus ingessit fraternitati uestre nostram mittere scripturam curauimus insinuantes latorem presentium augustinum seruum dei de cuius cer